

potius promissa ingenti pecuniae vi persuaserint custodibus ut dice-
rent corpus Jesu sese dormientibus, discipulos esse susturatos, adeoq;
Apostolos non deceptionis, sed mendacii arguere, intenderint. Et si
suspicio deceptionis surgere potuisset, cum tanta ideo paterentur, fa-
cillimo negotio & ipsi fidem omnem resurrectioni adhibitam excute-
re potuissent.

§. 23.

Nec est qvod mendacii eos suspectos arbitrere: Ecqvid enim men-
dacia vendituri ad tantum numerum oculatissimorum testium solent
provocare? vel unde verisimile tantam testium nubem in unum idem-
que mendacium voluisse conspirare? qvid enim ex mendacio utilitatis
in caput Auctorum redundaturum sperare poterant? si honorem: At
propter hoc dogma probris ignominiæque passim exponebantur. Si
divitias: At omnia sua reliquerant secuturi Christum, ob professio-
nem Christianismi bonorum damno, exilio, morte mulctabantur. Si
alia vitæ commoda: At Evangelii, & fidei hujus prædicatio, labores,
famem, sitim, verbera, carceres, aliaq; in commoda comites indivul-
sos secum trahebat. Si famam: At si falsa prædicassent, nulla ratione
sperare poterant tantos sui dogmatis à ratione & opinione hominum
adèò alieni progressus, præcipue cum & imperantium auctoritas pro
virili eosdem sufflaminaret, & sub ipsa præconii sui primordia speci-
men capere poterant, quale ex hoc dogmate nomen sibi promittere
possent. Quid qvod hi viri vitæ ne qvidem ab adversariis culpatæ fue-
rint? qvibus nihil objectum præter solam simplicitatem, cuius inge-
niū à confingendo mendacio longissime abest, ut loquitur Hugo
Grotius in hanc rem lib. 2. de verit. relig. p. m. 139. sq. Qvod eorum
religio & eorum scripta, mendacia & falsa Testimonia maxime in di-
vinis rebus prohibeant? multi eorum, loquitur ibidem Grotius, morte
exquisitissima ob id testimonium affedi sunt. Jam vero, ut quis sensus sui com-
posita toleret ob conceptam animo opinionem, fieri potest: At, ut ob falsum,
qvod falsum esse norit, tam duræ pati velit, non unus aliquis, sed plures, qvorum
id falsum credi, nihil intersit, res est plane incredibilis. Amentes autem eos non
fuisse & vita & scripta satis testantur. Causam igitur nullam infidelis ha-
buerit, quo minus dogma de resurrectione Christi & resurrectione
mortuorum tanquam probabile vel saltim non improbabile idq; fide
historica admittere possit.

C 2

§. 24.